



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 51. Hispanorum clades in Catalonia & Belgio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII.
A. C. 1645.

§. LI.

*Hispanorum clades in Catalonia, &
Belgio.*

*Ferrer. contin. Hist.
Hisp. tom. 13. cap. 2.
Brachel. hist. temp. p. 319.*

Eodem adhuc anno Galli in Catalonia acceptam a Cæsareo - Bavaris cladem egregie vindicaverant; Arcurtius enim Comes, quem Franciæ Rex Pro-Regem Cataloniæ nominaverat, occupata Rosa insigni portu apud Mare Gallicum, Sicorim flumen, vadum monstrante quodam Sacerdote Catalono, cum omnibus copiis trajecit, occupatisque variis minoris momenti propugnaculis Hispanos aggressus, eos commisso prælio die vigesima prima Junii profligavit. Captus erat Marchio Mortara Bellidux longa militia efferatus, & ducenti ordinum Ductores, plerique omnes ex prima Hispanorum nobilitate: ipse etiam Andreas Cantelmo supremus Hispani exercitus Imperator ægre cum potissima Equitum parte Blaguerium profugere poterat, quem tamen Harcurtius insequens, expugnato propugnaculo, & præsidiariorum tribus millibus Fontarabiam dimissis Flixium usque repulit, ac demum hoc etiam munimentum captis Hispanorum mille ducentis expugnavit; ulteriorem vero victoriæ cursum sistebat conjura-

tio Barcinonensium, quorum quidam Sæc. XVII. A. C. 1645.
 hanc metropolin pristino suo Regi re-
 stituere, incassum tamen, moliebantur. Auspiciator erat Hispanis fortuna
 contra Lusitanos, quos expugnata
 Olivenza arce magna clade deleverunt;
 vicissim vero Hulstum in Belgio Hol-
 landi Hispanis, & Galli Mottam in Lo-
 tharingia Carolo Duci eripuerant.

§. LII.

*Trevirensis civitas a Gallis op-
pugnata.*

Postquam Philippus Christophorus Tre-
 virensis Archiepiscopus & Elector Bougeant Hist. tric. 1
 a Cæsare libertati redditus, die prima bell. tom. 2.
 Septembris Confluentiam advenerat, l. 3. §. 92.
 ibidem ad medium usque Novembrem Massen. An-
nal. Trev.
 subsistens, datis ad Turrenium Gallici l. 25. §. 81.
 exercitus Ductorem literis, eundem
 sollicitabat, ut adducto Gallorum, Haf-
 forumque agmine Trevirenses urbem
 vi armata occuparet, Hispanosque in-
 de propelleret: Sub idem quoque tem-
 pus Hugonem ab Eltz, & Joannem
 Anethanum Cancellarium Legatos Mo-
 nasterium decrevit, ut Franciæ Lega-
 tos de continuata Electoris cum Gal-
 lis amicitia & fœdere certiores redde-
 rent. Comperto enim, quem Elector
 cum Cæsare erexerat, tractatu, ipsius